Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

meus. In manus tuas commendo spiritum meum. redemisti me domine deus veritatis. Odisti observantes vanitatem. sup vacue Ego autem in domino speravi. exultabo et letabor in misericordia tua. Quoniam respexisti humilitatem meam. salvasti de necessitatibus animam meam Nec conclusisti me in manus inimici. statuisti in loco spacioso pedes meos. Miserere mihi domine quoniam tribulor. conturbatus est in ira oculus meus anima mea et venter meus Quoniam defecit in dolore vita mea et anni mei in gemitibus. Infirmata est in paupertate virtus mea et ossa mea conturbata sunt Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis valde et timor notis meis Qui videbant me foras fugierunt a me. datus sum oblivio in tanquam mortuus a corde Factus sum tanquam vas perditum quia audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu. Dum convenirent simul adversum me accipere animam meam consiliati sunt Ego autem in te speravi. dixi domine deus meus es tu. in manibus tuis sortes mee Eripe me de manibus inimicorum meorum et a persequentibus me Illustra faciem tuam super servum tuum. salvum me fac in misericordia tua domine non confundar quoniam te Erubescant impii et deducantur in infernum. muta fiant labia dolosa Que loquuntur adversus iustum iniquitatem. in superbia et in abusione Quam magna multitudo dulcedinis tue domine quam abscondisti timentibus te Perfecisti eis qui sperant in te in conspectu filiorum hominum Protexes eos in abscondito tabernaculo tuo a contradiccione linguarum Benedictus dominus quoniam mirificavit misericordiam suam in civitate munita Ego autem dixi in excessu mentis mee proiectus sum a facie oculorum tuorum Ideo exaudisti vocem orationis mee dum clamarem ad te. Diligite dominum omnes sancti eius. quoniam veritatem requirit dominus et retribuet abundanter facientibus superbiam. Viriliter agite et confortetur cor vestrum omnes qui sperastis in domino Ps. DD. cum mutaviit vultum suum coram abimelech et dimisit eum et abiit.

Beati quorum remisse sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata Beatus vir cui non imputavit dominus peccatum nec est in spiritu eius dolus Quoniam tacui inveterarunt ossa mea dum clamarem tota die Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua. conversus sum in erumpna mea dum configitur spina Delictum meum cognitum tibi feci et iniusticiam meam non abscondi Dixi confitebor adversum me iniusticiam meam domino et tu remisisti impietatem peccati mei Pro hac orabit ad te omnis sanctus tempore opportuno Veruntamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt Tu es refugium